



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus X. De Natis, ex Libero Ventre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

TITULUS X.

De Natis ex Libero Ventre.

SUMMARIUM.

1. Partus sequitur ventrem.
2. Et conditionis servilis est, si mater nullo tempore à conceptione usque ad nativitatem fuit libera.
3. Nec attenditur quoad hoc conditio Patris.
4. An Regula hæc universaliter locum habeat? Rationes dubitandi.

Titulo huic occasionem dedit præcedens Titulus, in quo dictum est, Libero, & ingenuum jungi Matrimonio, si velit, posse cum homine conditionis servilis: ex quo nascitur quæstio de statu prolis, ex ejusmodi conjugio procreata, an servus censendus sit, an verò liber? Regula universalis est, quòd partus sequatur ventrem, sive conditionem matris *c. fin. de Serv. non ordin. l. partum 7. C. de R. V. & l. nec diurnis 22. C. de agricol. & censit. Ex quo sequitur, si Mater libera erat, etiam prolem fore liberam; si verò serva, etiam prolem fore servam. pr. Inst. de Ingenuis; S. servi 4. Instit. de Jur. personar. l. & servorum 5. §. ingenui 2. ff. de Stat. hom. & c. un. b. tit.*

Sufficit autem, ut proles ingenua, & libera sit, si mater libera, aut libera fuit aut conceptionis, aut nativitatis, aut inter hanc, & illam intermedio aliquo tempore, etiam per momentum. Hofl. in c. fin. n. 1. de Serv. non ordin. Joan. Andr. ibid. n. 7. Sot. in 4. dist. 35. q. un. art. 4. col. 2. ante §. addit verò, Molin. tr. 2. de J. & J. D. 33. fin. Sanch. l. 7. de Matr. D. 24. n. 10. Gutier. de Matr. c. 93. n. 9. Palao tr. 28. D. 4. p. 5. §. 4. n. 3. Vivian. in c. un. b. tit. fin. Barbof. ibid. n. 3. Vallens. hic n. 1. Zael. n. 2. Ehgl. circa medium. König n. 1. Reiffenstuel n. 3. & constat ex pr. Inst. & l. servorum cit. & redditur utrobique ratio, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est, utpote qui pro jam nato habetur, quoties de ejus commodo agitur.

Parum autem refert, cujus conditionis fuerit pater; nam etiam ex patre servo, si mater sit libera, nascitur proles ingenua *l. partum cit.* Neque attendendum est, an proles illa ex aliena, an ex propria ancilla sit procreata *l. si ea 2. c. si mancip. tua fuer. alienat.* Et vera est conclusio, sive hujusmodi filij procreentur ex legitimo Matrimonio, sive extra illud; nam textus allegati loquuntur indistinctè de filiis. Sanch. D. 24. cit. n. 7. §. 8. Excipitur tamen, si alicubi legitime præscripta consuetudo sit, ut filius non matris, sed patris, aut utriusque parentis servitutem se-

5. Deciditur, quòd partus matrem sequatur quoad ingenuitatem, & servitutem, quoad nobilitatem, familiam, & bonas res patrem.
6. Ratio istorum.
7. Solvuntur argumenta opposita.
8. Corollaria.

quatur; cum enim Lex hæc sit ex Jure humano, adversus illam prævalere consuetudo legitime introducta potest: unde eo casu ingenuitas, vel contrà status servilis ex usu Provinciae, vel loci desumi debebit. Sanch. n. 9. & ab hoc citi.

Difficultas est, an præcisa contraria consuetudine, & stando Juri communi universaliter, & si non universaliter, in quibus locum habeat allegata Regula, quòd partus sequatur ventrem, seu conditionem matris? Nam contrà est 1. textus *l. cum legitime 19. ff. de stat. homin.* ubi Celsus, cum legitime, inquit, nuptie factæ sunt, patrem liberi sequuntur; vulgò quæsitus matrem sequitur: & hinc, ut Tiraquell. de Nobilit. c. 15. n. 22. & c. 18. n. 3. advertit, proles nata ex patre nobili, matre ignobili, nobilis est. 2. Textus *c. licet 3. de conjug. servor.* ubi miles, patre ingenuo natus, pro ingenuo habetur, licet matrem ancillam habuerit. 3. In generatione prolis æquè, imò principalius concurrat pater, quam mater, igitur non matris, sed patris conditionem eam sequi oportet *arg. l. queritur 10. ff. de stat. homin.* 4. Proles ob legitimorum natalium favorem potius bonam fidem matris impedimentum ignorantis, quam malam alterius illud scientis sequitur, & propterea legitima est, licet revera Matrimonium inter parentes ejus non constet *c. ex tenore 14. qui fil. legit.* atqui non minus favorabilis est libertas; imò hæc omnibus rebus favorabilior est, ut dicitur *l. libertas 122. ff. de R. J.* 5. Si proles sequeretur nobilitatem patris, & conditionem servilem matris, sequeretur, quòd proles procreata ex patre nobili, & matre ancilla simul esset nobilis & servilis. Sequela apertè repugnat; quia Nobilitas est dignitas secundum Bartol. in l. 1. C. de Dignit. Servi autem honorum, & dignitatum sunt incapaces *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* imò quoad ea, quæ Juris Civilis sunt, pro nullis habentur, *l. attinet 32. ff. de R. J.*

His Argumentis aliquid dandum est, sed non totum. Dicendum, quòd proles, nisi aliud specialiter constitutum sit, quoad fami-

familiam, nobilitatem, & honores sequatur conditionem patris, quoad ingenuitatem verò, & servitutem conditionem matris. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 24. n. 1. § 5. Gutier. de Matr. c. 93. n. 1. § 5. Palao tr. 28. D. 4. p. 5. § 4. n. 1. § 4. Vivian. in c. un. h. tit. Wagnereck ibid. not. 1. § 2. Canif. hic n. 1. § 2. Engl. ibid. circa fin. König n. 2. Reiffentuel n. 2. § 4. & sumitur ex textibus allegatis. Rationem utriusque dat S. Thom. in 4. dist. 36. q. un. art. 4. quia partus esse à patre recipit, tanquam à causa efficiente, & suæ substantiæ principio nobiliori; mater verò ei subministrat plus materiæ, ex qua corpus formatur, & augmentatur: ut adeo æquum sit, ut quoad ea, quæ ad esse pertinent, ut familia, nobilitas, honores, sequatur patrem, matrem verò quoad illa, quæ corpus potissimum afficiunt, ut libertas, & servitus.

Ratio posterius statuendi triplex afferri potest. 1. Quia quoad proles conditionem ingenuam, vel servilem Juris conditores spectarunt id, quod certius est. atqui de sola matre proles certò constat, de patre verò solum ex præsumptione Matrimonij. 2. Quia mater, dum prole gravida est, in ejus partu sæpe periclitatur de vita, in hoc, & educatione illius à domini servitijs impeditur: quod periculum, & damnum compensari domino debuit; melius autem compensari non poterat, nisi ut proles, quæ periculi, & damni istius causa est, sequatur conditionem servilem matris, & in dominium transeat ejus, qui damna, & pericula ista patitur, ergo &c. 3. Quia licet pater ad generationem proles concurrat principalitèr, mater tamen plus confert, eam in, & extra uterum substantiâ suâ nutriendo, igitur sicut germina terræ potius, quam seminantis, ita & proles potius matris, quam patris fructus censetur.

7 Neque obstant Argumenta allata in contrarium. Ad 1. Meritò l. cum legitima cit. dicitur, cum legitime factæ sunt nuptiæ, liberos generaliter sequi conditionem patris; quia Jure Civili spectato, inter Servos, & cum Servo justum Matrimonium non constat pr. Inst. ibi, Civis Romani de Nupt. l. cum ancillis 3. C. de incest. § inut. nupt. l. servi 23. junct. Gloss. C. ad Leg. Jul. de adult. Ad 2. In casu c. licet cit. miles patre ingenuo, & matre ancilla genitus, pro ingenuo habitus est ob consuetudinem loci, quæ contra Jus commune proles ingenua, vel servilis conditio desumebatur non à matre, sed à patre. Ad 3. Concurfus ille principalis patris jam sortitur effectum suum; ideo enim proles quoad familiam, nobilitatem, & honores patrem sequitur. Ad 4. Libertatis favori apud conditores Legum prævaluerunt rationes allatae pro altera parte Regulæ. Accedit, quia etiam secundum hanc favor præstatur proli, cum ista sit libera, si

mater vel conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio, etiam minimo tempore libera sit: quod fieri non potuisset, si quoad libertatem debuisset sequi conditionem patris; nam hujus libertas conceptionis duntaxat tempore, quo ista esse ab illo accipit, prodesse posset, ut Salicet. in l. partum, cit. in fin. Mynsing. pr. Inst. de Ingenuis, Gonzal. in c. fin. de serv. non ordin. n. 13. Wiest. hic n. 7. fin. advertunt. Ad 5. Eo casu, quamdiu servilis est proles, nobilis quidem dici non potest; quia, ut bene dicitur in Argumento, conditio Servilis Nobilitatem impedit: at si manumittatur, sicut libertatem consequitur, ita & nobilitate, Impedimento sublato, quasi reviviscere gaudet. Exemplum est in prole, quæ extra Matrimonium nata est ex patre nobili, & Matre plebeja; nam etiam hæc, durante natalium defectu, pro nobili non habetur; at eo sublato per Matrimonium, inter parentes postea initum, simul legitima, & nobilis evadit, ut arg. c. tanta 6. qui fil. legit. docet Sanch. l. 7. de Matr. D. 24. n. 4. § seqq.

Ex his sequitur 1. Prolem natam ex patre nobili nobilem esse, quamvis mater ignobilis sit. Sed nobilitas hæc plerumque multum temperatur per Statuta particularia locorum, & Provinciarum: & sic in plerisque Ecclesijs Cathedralibus ad Canonicatus, & in Aulis Principum ad solennes Ludos equestres non admittuntur, nisi, qui etiam ex materna linea per longam seriem Nobilitatem suam docere possunt. König hic n. 3. fin. Reiffentuel n. 7.

Sequitur 2. Prolem natam ex Patre nobili, & matre ancilla tamdiu solum conditionis servilis esse, quamdiu non manumittitur; Manumissa enim, ut dictum est n. præc. nobilitate gaudet, quæ tunc, Servitutis quasi velo remoto clarescere incipit. Sanch. n. 4. cit. Rationem dat, quia nobilitas est quoddam sanguinis jus incommutabile, & comparatur cum eo, quod provenit à natura l. eum. qui 3. ff. de interd. § releg. at Jura sanguinis nullo Jure civili dirimi possunt, ut ait Pomponius l. Jura sanguinis 8. ff. de R. J. igitur licet durante conditione servili, Jure Civili, quo Servi pro nullis habentur, impediatur nobilitas proles sic nate, acquisita tamen libertate reviviscet, vel potius, quæ prius testata erat, apparebit.

Sequitur 3. Liberam esse prolem, natam ex Matre, quæ prægnans ancilla erat, sed postea manumissa, ante partum tamen in servitutem redacta, etsi ipsa proles nascatur in servitute matris; nam ita statuitur pr. v. ex his Inst. de Ingenuis, & ratio immediate antea datur; quia calamitas matris non debet nocere proli in utero existenti. Hinc, ut n. 2. dictum est, ad hoc, ut proles fiat libera, sufficit matrem brevissimo tempore inter conceptionem, & nativitatem fuisse liberam.

Tri-

Triplex tamen ab hac Regula facienda exceptio est. 1. Si mater jure belli sit capta; nam tunc etiam foetus fiet mancipium, etsi mater tempore conceptionis illius libera fuerit: quod tamen non fit vi natalium, sed quia una cum matre captus fuit in bello justo, & sic beneficio matris captæ fuit servatus in vita. Sanch. D. 27. cit. n. 14. 2. Si pater propter ingratitudinem revocatur in servitute; nam eo casu etiam filij hoc patre nati post commissam ingratitudinem reducuntur in servitutem, etiam si ex matre libera orti fuerint l. si manusissus 2. §. filij C. de libertis, & eorum libertis: quod iterum non confurgit ex vi status materni, sed in poenam insignis

delicti paternæ ingratitudinis, ut cum Oroscio, & Padilla notat cit. Sanch. n. 13. 3. Si qui publicorum fervorum fabricis, seu alijs operibus publicis deputati, tanquam propriæ conditionis immemores, dominis se alienis, & privatarum ancillarum consortijs adjunxerint; nam eo casu etiam filij illorum, licet ex matre libera nati, sunt, & fiunt servi, sequentes quoad hoc conditionem patris ob hujus delictum l. fin. C. de Serv. fugit. Sanch. n. 12.

Quare dum dicitur, quod partus sequatur ventrem, intelligendum id est, quantum ex vi natalium, & si nulla alia causa accidat, quæ jubeat à Regula ista recessum facere.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

Inter Impedimenta Matrimonialia præcipuum est Cognatio, quæ communiter triplex dividitur, videlicet Cognatio Spiritualis, Legalis, & Naturalis, seu Carnalis.

Hoc Titulo præ cæteris duabus, tanquam de digniore, agitur de Cognatione Spirituali. Unde fit.

§. I.

De Cognatione Spirituali, orta ex Baptismo, & Confirmatione.

S U M M A R I U M.

1. Cognationis Spiritualis Definitio.
2. Est inducta Jure solum Ecclesiastico.
3. Ratio consuevendi hoc Impedimentum.
4. 5. 6. Oritur ex sola collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis.
7. Dirimit Matrimonium contrahendum, non verò contractum.
8. Est perpetuum.
9. Cognatio hæc olim triplex fuit, videlicet Paternitas.
10. Compaternitas.
11. Et Fraternitas.
12. Hujus ratio.
13. Filij duorum Compatrum etiam antiquo Jure poterant simul jungi Matrimonio.
14. Excepta persona, per quam ad Compaternitatem venit.
15. Item baptizans, vel suscipiens cum sorore baptizati.
16. Inter filios duorum Compatrum, si tales fuerint, per quorum unum ad Compaternitatem venit, Matrimonium antiquo Jure erat invalidum.
17. Imò etiam universim, si consuetudo peculiaris Ecclesiarum hoc improbasset.
18. Ratio dubitandi dissolvitur.
19. A marito ad uxorem refundebatur Cognatio spiritualis solum post Matrimonium consummatum.
20. Jure novo Tridentini Cognatio hæc restricta est.
21. Et primò quidem, sublata Fraternitate, mansit sola Paternitas, & Compaternitas, eaque directa tantum.
22. Statutum, ut in Baptismo imposterum tantum adhiberetur unus Patrinus, vel ad summum unus, & una.
23. Et præter hos nullus alius Cognationem Spiritualem contrahat, etsi baptizatum tetigerit.
24. 25. 26. Corollaria.
27. Hereticus baptizatus, vel tenens in Baptismo Cognationem Spiritualem contrahit.
28. 29. 30. 31. Non verò infidelis.
32. 33. 34. 35. Et hoc verum est, ut nequæ cum ipso Cognatio hæc contrahatur a fidele.
36. Ut fidelis suscipiens ex Baptismo eam Cognationem contrahat: requiritur intentio obeundi munus Patrini.
37. Opus est, ut baptizandum teneat, dum reverè Baptismum administratur.
38. Et quidem, ut fiat verè & formaliter.
39. Non tamen necesse est, ut pro baptizando respondeat.
40. Ex Baptismo, & Confirmatione invalida non oritur hæc Cognatio.
41. Patrinus in Confirmatione debet etiam ipse esse confirmatus.
42. Non impeditur à petitione debiti Pater baptizans.
43. Vel